



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Theoctista V. 10. Nov.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

704 VITÆ SANCTORUM. 10. No-  
brior lingua sãvit. Denique (ô-cali pa-  
tientiam!) iterum pectus ferro impio  
petitur; atque, ut ne aberrasse existimes,  
iterum fons geminus sanguinis & undæ  
fluit. Hic omnium morborum medicus  
febres pellere, lepram abstergere, clau-  
dos in pedes erigere, ipsis denique sce-  
leris auctoribus oculos ita aperire, ut  
tam cæci nuper fidei tunc lumen aspice-  
rẽnt, miraculo hoc gratiore, quòd urbs  
tot jam Longinos, quot paulò ante  
Iudæos numeraret. *Ex actis Nicenæ  
Syn. II.*

*Cum ponis oculos tuos, ut non respicias  
calum: & voluptiosis carnis tuæ motibus  
moveris, durioribus clavis pedes Omni-  
potentis transverberans illi infers suppli-  
cium, dum momentaneâ voluptate volun-  
tatem dominantis excludis. S. Pet. Dam.  
ferm. 38.*

S. THEOCTISTA V. 10. No.

**R**estius hoc die Lesbos THEOCTI-  
STAM, quàm olim Sappho suam lau-  
dat. Apage decimam Musam, quæ virgo  
non est. At quam scribimus, THEOCTI-  
STA, inter virgines sacras à primis  
annis educata virginitatem etiam ipsa  
spirat, gratissimum odorem illi, cui ode-  
raturum mundus non abstulit. Et potuere  
THEOCTISTÆ libertatem eripere A-  
rabes prædones, sed non pudorem proin-  
de,



10. Nov. VITÆ SANCTORUM. 705  
de, ut qui numquam expugnatur, nisi  
tibi à proditore animo habitatur. Itaque  
cum vivere inter latrones animorum se  
videret, in silvas aufugit horridas & me-  
tuendas, sed fidas semper virgini late-  
bras. Hic ad templi rudera castissima  
Sacerdos preces cælo facere, corpuscu-  
lum herbis, animum cæli deliciis pasce-  
re. Tandem cum annos vixisset v.  
supra xxx. & veste jam defluente foliis  
pudorem tegeter, venatori visa est, pro-  
monstro utique habenda, si vox & vir-  
tus non prodidissent. Texit tunc suis ve-  
stibus hic, & anno vertente cibo divino  
recreavit. Sed cum à venatione denuò  
ad illam viseret, exanimem reperit, &  
de tam nobilibus exuviis manum sibi  
dexteram abstulit. Verum cum non nisi  
restitutâ hâc solvere è portu potuisset,  
narrassetque miraculum sociis, accur-  
rerunt hi venerabundi, sed nihil quid-  
quam præter virtutis vestigia invenerunt.  
Dubitarem à quibus ablatum corpus fo-  
ret castissimum, nisi tumulari virginita-  
tem ab Angelis Catharina doceret. Ex  
Metaph.

*Per humilitatis custodiam servanda  
est munditia castitatis: si enim spiritus  
piè sub Deo premitur, caro illicite super  
spiritum non levatur: nam si auctorem  
suum superbiendo contemnit, jure à subje-  
cta carne prælium suscipit. S. Greg. l. 26.  
Mor. c. 13.*

Yy

S. MAR-